



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

**QUA PONTIFEX LAETATUR DE CONVENTU MARIANO
IN MEXICANA REGIONE CELEBRANDO***

VENERABILI FRATRI
ATHENOGENI ARCHIEPISCOPO MECCHOACANO - MORELIAM

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuncium sane gratum accepimus, Octobri proximo ineunte totius Mexicanæ nationis sacros antistites lectosque ex omni ordine catholicos viros ad te, Venerabilis Frater, conventuros esse, ut de cultu amplificando augustissimæ Dei Matris consultant, simulque, Ipsa auspice, deliberent, quibus maxime modis sociales popularium suorum rationes adducere in melius possint. Cognit a vulgo quum sit singularis et eximia erga beatissimam Virginem gentis vestrae pietas, dubitandum non erat quin eadem hoc anno illustrius emereret: quum scilicet in habendis honoribus Mariæ ab origine Immaculatae, ob renovatam memoriam definiti dogmatis, catholicorum hominum toto orbe certant studia. Iamvero in rebus, quibus eam vos faustitatem celebrabitis, facile principem locum tribuimus Mariano isti conventui: quippe experiendo constat, quam magna sit horum similiumque coetuum hodie opportunitas. Etenim, quo tempore videmus fidei vitæque christianæ adversarios ubique foederatis viribus invalescere ad perniciem populorum, quid magis opus est, quam *filios lucis*, ne in tanta necessitate rerum *prudenter* eis *fili tenebrarum* sint, arctioribus inter se vinculis obstringi ad salutem communem? Huc porro mirum quantum conducit frequentes identidem congregari bonos, ducibus Episcopis, ut et lumina sui quisque iudicii et experientiae conferant, et, quæ idonea visa sint, capiant consilia, et voce atque hortatione mutua incitentur. Id apud complures gentes, consequente copia optimorum fructuum, iamdudum factitatur; id ipsum nunc apud vos feliciter incipit fieri Mariano conventui: cui Nos quidem, ob spem praeclaræ publice privatimque utilitatis, prosperum optamus precamurque exitum; scimus enim gravia et opportuna

vobis ad disputandum esse proposita. Ceterum vestra omnium, Episcoporum in primis, actiosa sollertia, flagrans religionis patriaeque caritas, addictissima Nobis ac Sedi Apostolicae voluntas uberem laboribus studiisque vestris conciliabunt, quod caput est, divinae benignitatis opem, patrocínio praesertim Deiparae, cuius nominis gloriaeque amor causam vobis coeundi dabit. Nos vero caelestium munerum pignus sit volumus Apostolica benedictio, quam, testem pariter paternae benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, ceterisque tuis in Episcopatu collegis, et universis, qui vobiscum una convenient, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Septembris MDCCCIV, Pontificatus Nostrī anno secundo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 197-198.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana